

Nos Colanus de Ghinanno, Johannes de Butadeo et Marcus de Ziualellis, iudices curiarum consulum et maris ciuitatis Jadre, uisa, audita et diligenter intellecta petitione, coram nobis facta oretenus, per Lucam de Lodrino, habitorem ciuitatis Venetiarum, contra et aduersus Nicolaum quondam Petri de Urbino, in nostri presentia constitutum, et deinde se absentantem, in hac forma, uidelicet: Quatenus cum dictus Nicolaus de Urbino habuerit ad naulum a Petro de Lodrino, habitatore Venetiarum, eius germano, unum ipsius Luce nauigium, consistens in portu Segne, hiis pactis, uidelicet, quod dictus Petrus tunc patronus promisit cum dicto nauigio ire ad terram Pagi, et ibidem onerare sale dicti Nicolai dictum nauigium, usque ad debitum pondus, eundi ad uelum cum eo recta uia ire Narentum, ubi exonerare debebat ipsum salem, quo facto, onerare debebat ipsum nauigium mercantiis dicti Nicolai, infra quinque dies exonerato dicto sale, et ipsum patronum expedire, quod si non faceret deberet dicto Petro patrono reficere expensas marinariorum pro tempore occupato, arbitrio bonorum uirorum, cum quo onere debebat idem patronus recto tramite ire Anconam et ibi exonerare dictum onus. Et hoc ideo quia dictus Nicolaus promisit ipsi Petro dare eidem pro suo naulo dictorum uiagiorum ducatos quadragintasex auri, et ducatos decem quos ipse Petrus mutuauit dicto Nicolao, dandos saluos in terra, quod totum capit in summa ducatorum quinquagintasex auri, infra tres dies exonerato nauigio postquam Anconam applicuerit de ipso uiagio, promittentes sibi inuicem attendere sub pena dupli dicte quantitatis pecunie, et refectione damnorum, interesse et expensarum et obligatione bonorum partis utriusque, ut plenius fieri potuerit, ut patet publico de predictis instrumento, scripto manu Nicolai quondam Dominici de Vegla, publici imperiali auctoritate notarii et comunis Segne scribe iurati, anno domini a natiuitate millesimo quadringentesimoseptimo, indictione quintadecima, die quarto mensis octobris; et audita confessione dicti Nicolai, confitentis supradicta contenta in petitione dicti Luce uera esse; et audita insuper petitione dicti Luce, petentis sibi ab ipso Nicolao refici expensas, damna et interesse, quod, quas et que dictus Lucas substulit a festo natiuitatis dominice proxime preterito usque ad diem quartum mensis presentis februarii, ex eo quia dictus Nicolaus dictum nauigium dicti Luce tenuit ad sui postulationem sine uoluntate dicti Luce; item uisa districta dicti Nicolai proclamati, de mandato dictorum nostrorum iudicum, se absentantis a iuditio; et uisa et audita proclamatione facta de mandato minorum rectorum Jadre ad petitionem dicti Luce, continente quod dictus Lucas intrabat in districtam bonorum ipsius Nicolai absentis et contumacis in uiginti quartis aualonie dicti Nicolai, existentis in nauigio ipsius Luce, sistentis in portu ciuitatis Jadre; item uiso quod dictus Nicolaus non expullit nec expelli fecit de dicta districta, que durauit tribus diebus secundum ordines Jadre, propter quod reputatus fuit et est contumax in predictis; item uiso dicto instrumento nauigliamenti; item duabus litteris scriptis manu propria ipsius Nicolai, una quarum mittebatur Venetias ad manus Luce de Lodrino in millesimo quadringentesimo septimo. die XXVIII octubris, et altera directa per dictum Nicolaum ser Nicolao iudici de Legena, scripta in millesimo quadringentesimo octauo, die XXI mensis ianuarii in Spaletio; et habito quod dictus Nicolaus semper fuit contumax et in contumacia stetit et perseuerauit et ad presens perseuerat; et uiso ordine de districta ad nostrum officium spectante, per ea que uidimus et cognouimus et nunc uidemus et